

Franz Albert Aepinus

Programma Exeqviale, Qvo luctuosissimum Relictis quidem ... Dominæ Helenæ De Klein, Nativitate de Gerdsen, mellitissimæ nuper, nunc, eheu! desideratissimæ, Viri ... Domini, Dn. Johannis De Klein, Potentiss. Reginæ Prussiæ ... Proceribus Ac Civibus Academicis indicit ...

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1730?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793911126>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Proboten Proctor's-Programme, meist
Fotokopieen in Proboten's Originalen Familien bzw.
Größen Heile und dem nächsten Jahrgang.
Originaltitel vorhanden.

Litr. A - H.

Im Juni 1859 und dem Nachlaß des Grafen Leopold Piper
zu Güstrow erworben.

(Zurück auf die Familien v. Klein, v. Kravitz u. a.)

82 Stücke

Mkib Gen

2/3I-40



1833

F. A. Aepinus, + 1758.

J. F. Brüll, + 1757.

A. Ahrend, + 1730.

J. A. Curtius, + 1740.

Anna Kohl, n. Ampel, + 1709.

J. Ch. Dancwarth, + 1755.

Cath. Ampel, vid. Klein, + 1725.

Anna Decker, conj. Meinauni, + 1739.

Magd. Brand, ux. O. P. Möleri, + 1733.

G. Deharding, + 1747.

J. H. Balke, + 1778.

Georg. Jul. Dittmar, ux. J. Carmon.

J. H. Becker, + 1774.

Ag. Doercks, conj. F. A. Aepini, + 1736.

P. Becker, + 1753.

J. J. Bentzen, + 1725.

Cath. Marg. Besselin, vid. Jac. Burgmann, + 1731.

Ch. Doercks, mar. Nettelbladt, + 1753.

Just. Reg. Besselin et Ann. U. Hever, vid.

Marg. Doercks, mar. Lief, + 1755.

Ch. M. Steven. Ross, + 1742.

J. A. Düve, + 1728.

V. J. Besselin, + 1755.

Cath. Bloeksdorff, vid. Vic. Puffer,

Ann. Soph. Eggerdes, ux. G. Ch. Handwigen,

+ 1715.

+ 1743.

Cath. Burchard, n. Bourgund, + 1740.

Matth. Joh. Eggerdes, + 1718.

Ch. M. Burchard, + 1742.

Matth. Hinr. Eggerdes, + 1722.

Jac. Burgmann, + 1724.

J. L. Engel, + 1758.

J. H. Burgmann, + 1746.

H. A. Engelen, + 1734.

J. P. Burgmann, + 1775.

H. Ch. Engelen, + 1742.

J. Carmon, + 1743.

J. F. Eyllers, + 1749.

J. H. Carstens, + 1731.

Chr. Ed. Fierster, vid. Ch. R. Holten, + 1734.

J. F. Celle, + 1729.

Cath. Chr. Fischer, vid. A. Willebrandt,

P. Biese, + 1746.

+ 1742.

Ann. Cath. Coeh, + 1726.

Hel. de Klein, nat. Gerdjen, + 1730.

G. Crause, + 1723.

P. Gerling, + 1778.

Ch. Crule, + 1748.

H. Goltermann, + 1733.

Ann. El. Groth, vid. Krauel, + 1739.

Alb. Heins, + 1733.

Matth. Ben. Hering, + 1750.

G. Herkepäus, + 1745.

Cath. Mar. Eyler, geb. Kitten, + 1756.

Ann. Soph. Kolsten, conj. J. D. Spalding, + 1740.

El. Kopp, norm. Crull, + 1766.

Ann. Hedro. Korn, conj. V. J. Bepelin, + 1730.

El. J. Jörck, + 1728.

Joh. Joach. Jörck, + 1729.

P. Chr. Kämpfer, + 1755.

Joh. de Klein, + 1732.

Wend. Kleinschmidt, vid. J. J. Bepelin,
+ 1726.

Ann. Marg. Knefbeck, conj. H. Golden-
mann, + 1738.

A. L. Knefbeck, norm. Kopp, + 1747.

D. H. Koepcken, + 1731.

G. W. Koepcken, + 1732.

F. E. Kohl, + 1738.

Anna Kortholt, vid. J. Lindemanni,
+ 1743.

A. J. v. Krackevitz, + 1732.

J. Krauel, + 1750.

PROGRAMMA EXEQVIALE, 55.

QVO

luctuosissimum Relictis quidem, at beatissimum

OBITUM

MATRONÆ GENEROSISSIMÆ

AC ILLUSTRIVM VIRTUTVM

SPLENDORE FULGIDISSIMÆ,

DOMINÆ

HELENÆ DE KLEIN,

NATIVITATE de GERDSEN,

CONJUGIS

mellitissimæ nuper, nunc, eheu! desideratissimæ,

VIRI

PER-ILLVSTRIS & EXCELLENTISSIMI,

DOMINI,

DN. JOHANNIS DE KLEIN,

Potentiss. Reginae Prussiae, ut & Sereniss. Ducis Re-

gnantis Mecklenburg. Consiliarii Intimi, Cancellarii item Megapolitani,

nec non Iudicii Aulici atque Provincialis Præsidis,

Hypothecarii in Gremlin & Reinshagen,

de singulis istis pariter ac aliis gravissimis officiis, cum immortalis Nominis

gloria, excellentissimè promeriti,

PROCERIBUS AC CIVIBUS ACADEMICIS

indicit,

BEATEQVE DEFUNCTÆ MEMORIAM,

qua par est observantia atque humanitate,

commendatam vult

ACADEMIÆ VARNIACÆ h. RECTOR,


FRANCISCUS ALBERTUS ÆPINUS,

Phil. & S.S. Theol. D. atque Prof. Ducal. Publ.

FCtatis Theol. p. t. Decan.

R O S T O C H I I,

Typis IO. IACOB, ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typographi.



Quod si vel natalium splendor nobilitasque generis, si vel propriarum, fœmineum Sexum decentium, & Illustres cum maximè matronas condecorantium, excellentium virtutum cumulus atque gloria, vel quæ magna nobis alia, præclara & egregia judicantur, mortales immortalitatis privilegio donare; aut si fortè, tenerrimus esse qui potest, conjugalis amor, si devotissima erga Parentes liberorum pietas, si Propinquorum, si Clientum, si benè cupientium ac condolentium conspirantia vota longævitatem saltem cuiuspiam conciliare, vel annorum vitæ numerum augere valerent; certe, hodie mihi de morte ac omnium, quotquot à mortalibus procreati sunt, sine ullâ ullius unquam exceptione, fugaci vitâ commentandi, quam, utinam! nactus non essem, occasio data non fuisset, nec tristis imposita triste & acerbum funus indicendi necessitas. Læta ceteroquin primo, quo Vos in instanti Sacro Pentecostes Festo alloquerer, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! publico Programmati destinanda, præsentem, quem vivendo nos attingere cœlesti providentiæ placuit, ob conscriptam ante duo Secula, & in augustissimis Augustæ celebratis Imperii Comitiis, immortalis gloriæ Imperatori CAROLO V. solenniter exhibitam Augustanam Confessionem, primum illud Ecclesiæ Evangelico - Lutheranæ, cujus, DEi gratia, membra nos sumus

sumus, primumque Symbolum, jubilæo nobis Anno convenientia meditari. At, ecce! non nisi læta, nisi jucunda, nisi gaudendi nobis jubilandi que materiem suppeditantia Vobis annunciaturi, præter opinionem & expectationem omnem, lugubri prius valdeque tristi materiæ calamum commodare nostrum, atque cogitationes ab istis in hanc ante convertere jubemur. Sic igitur inter lugubria lætaque, inter juba & ejulatum, plausum inter planctumque constituti dum sumus, in mentem illicò quæstio venit: Utrumnam in obitu Suorum lætari potius, an tritari Christianos deceat? Et, num lacrymis ille deplorandus, an gaudii lætitiæque signis prosequendus magis sit? Quod si naturam naturalemque, quo, qui propius nosmet attingunt, arctiorive nobiscum vel sanguinis vel amicitiae vinculo conjuncti sunt, prosequi solemus, affectum respicimus, haud aliter, profectò, fieri potest, quam quod illorum à nobis abiturum, à quo ad nos rediturum in hanc vitam nunquam sperare datur, ægrè feramus, doleamus, & propter eum tristitiæ, luctui, quin gemitibus nos demus, imò verò in fletum lacrymasque resolvamur. Idque tantò magis, quantò majores in iisdem experti virtutes sumus, quantove plus ab illis boni, ut in alios, ita nos ipsos redundaturum, sperare & expectare poteramus. Id quod procul dubio respexit per vetustus ille, ac licet non *Ἰερόπνευστος*, post Regum tamen omnium sapientissimum, Salomonem, optimus morum Christianorum formator, SYRACIDES, Cap. XXXIIX. 16. 17. hortatus: *Fili, super mortuo elice lacrymas, & tanquam dura passus incipe threnum: Juxta verò judicium ejus involve corpus ejus, & ne despicias sepulturam ejus. Amarum fac planctum, & calidum fac luctum, & fac fletum juxta dignitatem ejus diem unum & duos calumnie ergo, & consolationem accipe doloris causa.* Ita & Suorum utriusque sexus obitum luxisse non infideles duntaxat, naturæ ductum & instinctum unicè sequuti, sed fideles etiam sanctique DEO placentes Viri leguntur. Abrahamus quippe, Patriarcharum post-diluvianorum maximus, quem summis, *Patris omnium credentium, Amicique DEI, Spiritus S. elogiis, Rom. IV. 11. 16. & Jacob. II. 23.* ornare dignatus est, morte Conjugis suæ dilectissimæ privatus, Mose *Gen. XXIII. 2.* attestante, *venit ad lugendum Saram, & ad deplorandum eam.* Similiter clara istius generis propago, summi Proavi Pronepos Josephus, magni nominis maximæque dignitatis inter Ægyptios & autoritatis summæ Vir,

*Abdita qui reserans Pharaoni somnia Regi,
Vinclisque ereptus, non sine mente DEI,
Sceptra loci rerumque capit, solioque locatus
Proximus,*

Patri Jacobo moribundo adstans, statim ac expiraverat ille, & collectus erat ad populos suos, *cecidit super faciem Patris sui, & flevit super eo, & osculatus est eum,* uti relatum legimus *Gen. L. 1.* Alios ut, brevitate ergo, taceamus, cum legifer ille Propheta & populi DEI Dux, Heros in prodigiis & signis, ad quæ facienda DEus eum miserat, magnanimus, Moses, in monte Nebo, volente sic summo vitæ ac necis Arbitro, supremum suum obierat diem, totus Israël eum, in planitiibus Moabi, triginta diebus deflerunt, *Deut. XXXIV. 8.* Ecquid igitur causæ fuerit, cur minus Christianis nobis eorum, quos charos in hac

vita habuimus, quorum vel magna merita, vel effulgentes virtutes spectavimus atque cognovimus, à nobis abitum dolere, lugere, deplorare, licitum sit judicandum?

Veruntamen, rem ipsam penitius consideraturi, deprehendemus, dolorem illum, quantus qualisque fuerit, quem ex aliorum obitu concipimus superstites, non tam defunctos respicere, quam nosmet ipsos, quibus ab illis in mundo relinqui contingit, nosque conquerimur desertos. Illorum autem ex parte tantum abest, ut eorum causâ lugendum nobis sit, ut ex adverso lætari potius conveniat, & discessum eis abhinc suum gratulari habeamus. Etenim, sive quem deseruere, sive ad quem pervenerunt illi, Statum pensitemus, ingentem utrobique invenimus de hac eorum mutatione gaudendi ac illis ipsis gratulandi materiam. Dum namque nostros, quamdiu heic nobiscum vivunt, vel a malo, quocum conflictabantur, liberatos, vel bono quopiam, quod anhelabant, mactatos accipimus, gaudendi hinc arripimus occasionem, felicitatem isthanc iisdem perpetuam voventes: non poterimus non, quin idem in illorum, quam morte subierunt, status mutatione agamus ac observemus. Id quod non Christiani solum, sacris edocti literis, agnoscimus, sed etiam, qui solius luminis naturæ sequuti ductum sunt, quin &, quos improba de animæ cum corpore corruptibilitate ac utriusque pristinum in nihil resolutione opinio tenet, agnovere. Non erit, ut de vitæ hujus calamitatibus universique mundi miseriis prolixas instituamus querelas, quarum pleni sunt libri, plena cunctorum ora, plenæ, si non omnium, saltem plerorumque lamentationes. Paucis ut multa dicam, talem hanc experimur hominum vitam, de qua *SENECA Consol. ad Marc. Cap. XX.* scribere non dubitaverit: *Non mehercule quisquam accepisset, nisi daretur insciis.* At verò, lernam hancce malorum, ex eâ liberatus, relinquit, quisquis è mundo decedit. Nec ullum adversus mala melius, nullum certius, nullum securius morte remedium datur. Hinc est, quod summis eandem efferrunt elogiis etiam illi, quibus divinæ veritatis non affulsit lux, quosque tum corporum defunctorum olim ad vitam futura resurrectio, tum eam insequuturæ beatitudinis magnitudo latet. Alios enim legas mortem per *maximum malorum omnium remedium* descripsisse: alios eam ceu *beneficium, à Diis immortalibus tributam, quos maximè dilexerunt, prædicasse*: alios, quod eam, *contra injurias vitæ beneficium* haberent, se consolatos esse: quæque hujusmodi præclara sunt prædicata longe plurima, quorum veluti compendium exprimit laudatus antè *SENECA l. c. cap. XIX.* scribendo: *Mors omnium dolorum & solutio est, & finis.* Nec opineris, eos spe tantum melioris, post illam, futuræ vitæ tam splendidis mortem elogiis commendasse. Nam etiam si nulla, post hanc, expectanda vita foret, solo sperandæ per mortem à mundanis malis liberationis intuitu, istos sic judicasse, vel unicus *CICERONIS Tuscul. Quæst. Lib. I.* locus condocere potest, cum scribit: *Si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius? Sin autem perimit, ac delet omnino, quid melius, quam in mediis vitæ laboribus obdormiscere, & ita conniventem somno consopiri sempiterno?*

Quod si iam Gentiles, sine Christo qui sunt, peregrini testamentorum promissionis, nullam spem habentes, DEoque carentes in mundo

do; velut Apostolus *Eph.* II. 12. eos describit, mortem bonorum, quæ mortalibus contingere possunt, omnium optimum arbitrati sunt, quantumlibet veram istius bonitatem, quantumve felicitatis in Christo obdormientibus afferat, non cognoverint: Quanto magis igitur Christianos decet, Suorum obitum non solum non reformidare, sed & patienter ferre, defunctisque, quem obtinere, laboris, afflictionum, calamitatum & miseriarum vitæ hujus finem, quamque contrà consequuti sunt, requiem beatam, vitam cœlesti gaudio referam, gloriam sempiternam atque coronam immarcessibilem gratulari? Quemadmodum enim mors iis ipsis non nisi exoptata fuit dissolutio, *Luc.* II. 29. *Phil.* I. 23. ita superstites qui sumus, Verbo veritatis edocti, novimus, illos, hinc abeuntes, à morte ad vitam transiisse, *Job.* V. 24. novimus, in Domino qui moriuntur, beatos esse ἀπάσι, & modo, sive nunc, i. e. ab instanti discessus sui, *Apoc.* XIV. 13. novimus, eosdem saturari gaudiis coram facie DEI, fruique jucunditatibus nobis in præsentī vitâ incomprehensibilibus in dextra illius æternum, *Psal.* XVI. 11. & ut cuncta vel verbo complectar: novimus, DEum illis omnia in omnibus esse, *I. Cor.* XV. 28.

Quis itaque doleret, Suos è tot malorum, quæ mortalitatem hanc circumstant, cumulo ereptos, à tanto miseriarum onere liberatos? Quis non potius gauderet, eos ad tantum felicitatis fastigium perductos? Quis non lætaretur, ad tantam eos gloriam eVectos? Et quis non illis hanc nunquam desituram beatitudinem toto pectore gratularetur? Doleamus igitur Nostrorum obitum, Christiana charitas jubet, quòque vel insigniores in iis virtutes observavimus, vel majora in alios ab illis merita profecta fuerunt, eò digniori prosequamur luctu planctuque. Imò & tantorum ob bonorum jacturam contristari, quodque privatos nos illis cernimus, calidis deflere lacrymis licet. Ut ne dicam, naturali quoque σοφῆ & affectus, quo in vivos ferebamur, teneritati aliquid permittendum esse. Sed tamen ita doleamus, ut aliquando dedoleamus, Christiana de salute defunctorum spes jubet. Lugeamus: at ne luctu deficiamus, patientia Christiana vult. Mœreamus igitur licet: sed mœrorem etiam cœlesti solatio corde tandem pellamus. Tristemur: verum tristitiam lætitiâ temperemus. Deploremus nos ipsos, quos illis in posterum carere oportet: at propter istas gaudeamus, de salute eorum lætemur, atque suam illis gratulemur beatitudinem.

Hodiernum, CIVES HONORATISSIMI! funus solenni pompâ paratum est exuviis Matronæ Generosissimæ quondam, virtutumque & sexum ejus & statum condecensium præ multis aliis exornatissimæ, Dominæ HELENÆ de KLEIN, Viri meritorum in Academiam hanc primùm & universum literatum orbem, postmodum & in Aulam Ducalem totamque Patriam maximorum, Per-Illustris & Excellentissimæ Domini, DN. JOHANNIS de KLEIN, Cancellarii Mecklenburgici, & rel. Conjugis desideratissimæ. Atque hoc ipsum tale funus est, in quo multum tam lugendi ac contristandi, quam gaudendi lætandique invenitur causæ. *Istud* equidem, si magnas & eximias, queis erat instructa, virtutes animique dotes, cum vita ejus extinctas; si bona diutiùs ab illa exspectata, nunc verò frustra desiderata; si Suorum

B

in il-

in illam, illiusque vicissim in Suos mutuum affectum; aliave huiusmodi quæ sunt, æstimatione nostrâ digna, spectamus. Hoc autem, si liberationem illius ab omnibus mundi malis; si beatam analyfin; si cœlestia, quæ adepta jam est, bona; si, quibus fruitur, sempiterna gaudia pensitamus attentaque mente recolimus. Utrumque haud melius Vobis, quotquot lecturi hæc estis, haud clarius demonstrare valebo, quam si & vitam & obitum Generosissimæ, beatissime nunc defunctæ Matronæ, quantum per virium imbecillitatem pariter ac multitudinem negotiorum licebit, descripsero. Dum enim Illustri huic funeri publicè parentandi vices Excellentissimus DN. Viduus impositas mihi voluit, cujus vel ad nutum alioquin in lætioribus promptissimus adurgerem, hac in tristi causa, contristatus peneque invitus, Rectoralis tamen, quod gero, muneris vi, negotio isthoc, etiam si defungi nequeam, saltem fungi conabor, quicquid nitidi ornatûs incompto meo dicendi generi defuturum, id illi à fulgentium virtutum, quibus in vitâ DEFUNCTA splendidissime coruscabat, nitore abundanter affusum iri, tam persuasum habens, quam quod persuasissimum.

Vitam igitur Generosissimæ Matronæ huius descripturus, non opus arbitror, verborum flosculos sollicitè conquirere, cum satis res ipsa proponenda elegantiarum Historiæ hæc conciliatura sit, siquidem, quotquot Beatam olim novisse datum fuit, mente statim præcipient, ingens in eadem lucidissimumque Sexum fœmineum ætatis cujuscunque præcipuè commendantium & exornantium virtutum exemplar depictum iri. Communem illam, quæ toti humano generi adhæret, corruptionem à Parentibus ad liberos cum ipsâ naturâ propagari, facer nos Scripturæ Codex docet, *Psalms. LI. 7. Job. III. 5.* alibi que. Sic & quædam morborum genera hæreditaria velut esse, præter experientiam, Ars Machaonia contestatur. Num autem & virtutum semina per generationem à Genitoribus in Natos transplantentur? haud temerè nobis sumimus decidendum. Quantumlibet enim, uti HORATIUS, dulces carminum resonans odas, *Lib. IV. Od. 4.* cecinit:

Fortes creantur fortibus & bonis :

Est in juvencis, est in equis patrum

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam ;

haud tamen id universaliter verum, aut omni exceptione majus effectum esse habendum, experiundo discimus. Quare nec naturæ suas denegabimus vires, nec experientiæ contradicere audemus. Sufficere interea nobis potest, virtuosorum Parentum liberos, saltem ut plurimum, virtutum evadere studiosos ac omni morali bono deditos. Etiam si namque non unâ cum sanguine virtutum ab illis accipiant amorem; illi tamen piam eorum sollicitamque suscipiunt in se partim, partim procurant educationem, & eos institutis non modò, sed exemplis etiam augent. Quibus DEO gratiam suam atque benedictionem largiente, Parentibus liberi, utut degeneres nonnulli reperiantur, plerumque similes evadunt, quodque à teneris eorum animis instillatum, illud haud secus ac à naturâ inditum æstimari solet.

Atque in his, DEI providentiâ dirigente, habuit abundè, de quo

quo gloriari sibi que gratulari potuit piè Defuncta KLEINIA nostra. Nam eos nacta fuit Parentes, quos non Generis ortusve duntaxat Nobilitas, sed virtutum quoque propriarum meritorumque gloria reddidit seræ posteritatis memoria dignissimos. Proximè quippe suum hunc in mundum ingressum debuit *Genitori*, Viro Præ-Nobiliss. Consultiss. ac Prudentiss. DN. MARTINO CHRISTOPHORO GERDSEN, J. U. D. Civitatis Gustroviensis, quæ Regnanti Mecklenburgensium Duci sedem præbebat, Consuli longè meritissimo, juxtaque Judicii Aulici atque Provincialis Assessori fulgidissimo. *Genitrici* verò, Generosissimæ ac à pietate ceterisque virtutibus laudatissimæ Dominæ MARGARETHÆ de BROEMSEN, ex antiqua Nobilissimaque Gente *de* von Broemsen oriundæ.

Avos venerata fuit, in *linea* quidem *superiori*, Præ-Nobiliss. ac Consultiss. Virum, DN. JOHANNEM GERDES, iisdem cum prælaudato Filio officiis functum, nimirum V. J. D. dicti Judicii Aulici ac Provincialis Assessorem Gravissimum, atque Consulem Gustroviensem Seniore Prudentissimum, cujus in se multorum annorum merita laudata Civitas non potest non, quin hodieum commemoret atque collaudet. Hujus Frater, Nostræque *Patruus magnus*, exstitit Magnificus atque Præ-Nobilissimus DN. CHRISTOPHORUS GERDES, qui per tres, ultra quinque quinquennia sive lustra, annos Liberam S. R. Imperii Republicanam & Civitatum, quas vocant, Anseaticarum Caput, Lubecam Consul rexit, relicto post se Filio cognomine, Capituli Cathedralis Lubecensis Seniore, quem Genitorem accepimus sex Filiorum fuisse, potiori numero Cæsareæ militiæ Hungaricæ Præfectorum, quorum ex numero fuit, qui militi præsidario Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI Magni præstitutus, Chiliarchæ Locum tenens, Albam Græcam seu Bellogradum contra Turcarum oppugnationes fortiter strenueque defendens vitam posuit, heroicâ morte occumbens. Sed ad Progenitores Nostræ in *linea* rectâ ascendente, à quâ ad collateralem paululum defleximus, revertamur, Illius *Avia* fuit Matrôna magnarum virtutum laude post fata quoque celebratissima, Dn. HELENA WARCKENTIENEN, à Matre Generosæ stirpis, Dn. HELENA von UHDENSAUEREN, in hanc lucem prognata. In *inferiori* *linea* *Avus* contigerat illi Vir Generosissimus, DN. ANDREAS ALBERTUS de BROEMSEN, Hæreditarius Dominus in Neuendorff; & *Avia*, ex antiquitatis pariter atque Nobilitatis prærogativâ pollente Familia ortum quæ traxerat, Dn. MARGARETHA de WETKEN.

Ad *Proavos* quando ulterius ascendimus, in *linea* *Paterna* is exstitisse deprehenditur Vir Præ-Nobilissimus, Consultissimus ac Prudentissimus, DN. MARTINUS GERDES, & is ipse J. U. D. pariterque Gustroviensium ultra tria decennia tertium in annum usque Consul, & simul Syndicus, cujus in publicam istam rem eximia merita nunquam à posteris oblivioni tradentur. *Proavia* item Præ-Nobiliss. matronali-umque virtutum decore ornatissima fœmina, Dn. CATHARINA ROESCH. *Maternâ* vero in *linea* *Proavum* accepimus quondam fuisse Generosissimum Virum, DN. HENRICUM de BROEMSEN, Hæreditarium in Krumes & Roggenhorst. *Provia*que, Generoso sanguine na-

ne natam magnoque virtutum fulgore nitidissimam, Dn. MARGARETHAM von HÖVELN.

Ab hisce tam meritorum, quam sanguinis stirpisque Nobilitate præfulgidis Progenitoribus procreata fuit in Domino defuncta Domina de KLEIN, vivens id honoris consecuta, ut, quam per ipsam nativitatem suam alioquin jam acceperat, Nobilitatis axiomate, abs Potentissimo Prussæ Rege, FRIDERICO I. glor. record. unâ cum, Heri sui nostrique quondam Clementissimi, Serenissimi Principis ac Domini, DN. FRIDERICI WILHELMI, Regnantis olim Megapoleos Ducis Beatiss. mem. Legatum in Aulâ Regiâ Berolini tunc temporis agente, Per-Illustri Marito, ac omnibus perpetuò descendentibus suis utriusque Sexus, longè clementissimè insignita coonestaretur. At ipsa, Regiam hancce Clementiam, ac par est, submississimè licet venerata, honorem istum, quo maestata erat, haud tamen majoris faciendum piè judicabat eâ nobilitate, quam sua cuique virtus conciliat, quâve à DEO renati, jure regenerationis ac filiationis, indeque consequentis hæreditatis vitæ æternæ, gaudent. Gaudio quippe hoc sibi quam maximo ducebat, quod de hac indubitato certa esset, eumque honorem tantum isti præferabat, quantum spiritualia, cœlestia & æterna præstant naturalibus, terrenis, caducis atque paucorum annorum, si non dierum, spatio, veloci fugacitate præterlapsuro, desituris.

Hac autem, quam à coelesti filiatione atque virtutibus esse diximus, nobilitate beatè Functam abunde polluisse, vita illius omnis condocere potest. Etenim mox atque Gustrovii, sæpius memoratâ Ducali in sede, Seculi superioris Anno LXXIII. mensisque Decembris die 5. felici partu in lucem edita esset, DEO devota Parentum Optimorum invigilavit sollicitudo, ut à DEO sibi datam Filio- lam Datori redderent, perque sacrum regenerationis lavacrum offerrent adoptandam. Nec postea quidquam prætermisere, quod eò facere scirent, ut isthoc in statu, Spiritu Divino dirigente coe- rantaque, conservaretur. Nam & suis illam precibus coelesti providentiæ sedulo non minùs ac ardentèr commendabant, & fari jam valentem advescebant, quæ & ipsa se totam suaque cuncta Numini committeret Supremo. Statim etiam ac ab ætate permittebatur, reliquarum etiam, quarum fons est & fundamentum pietas, virtutum amorem animo tenero flexilique instillari, & in omnibus vitæ actionibus commendari, piè prudenterque curarunt. Sed hoc illam infortunii manebat, quod ætate duodecennis utroque jam Parente, eorundemque curâ fidelissimâ, orbatam sese dolere ac deplorare habebat. Attamen, DEUM Orphanorum esse Patrem optimum certissimumque, cuncta se diligentium, præter spem etiam & opinionem multorum, in melius dirigentem, experta fuit grataque per vitam suam mente agnovit ac prædicavit. Tutelæ namque Propinquorum Cognatorumque dexterrimæ commissa, non solum ad incrementa pietatis, prudentium Præceptorum ope, perducta fuit, sed & reliquis, quæ sexum istum vel decent, vel ornant, omnibus fideliter instructa, tamque feliciter in iisdem progressa, ut plurimis ætatis suæ anteverteret, omnibus esse potuerit exemplo, Quare non

non divinam solum, affusam educationi suae quam largissime, benedictionem, cui quaecunque nobis obvenientia bona, ceu causae primariae, tribuenda; sed Tutorum etiam fidelitatem, vigilantiam operamque sibi praestitam memori semper agitavit mente, grataque recordatione, ac laudibus efferre summis audita saepius fuit.

Quae autem in illa non enitebant modo, sed exsplendescabant, tam a naturae concessae speciosae dotes, quam acquisitae magno conatu studiove excellentes virtutes, non oculos solum omnium feriebant, sed animos quoque cunctorum illius rapiebant in admirationem, favorem singulorum & existimationem illi concilians. Harumque fuit, omnibus laudata, elegantia, quae Per-Illustris, at obitu Ejus nunc, eheu! afflictissimi, DN. Vidui animum in amorem illius socialem flectendo, efficiebat, ut Ipsam, praeviam conjugiorum Auctoris imploratione devotissimam, matrimonio sibi jungendam ambiret. Exhibuit quoque sidere perquam fausto atque felici, Tutorum pariter atque totius Splendidissimae Familiae unanimi consensu sibi desponsatam. Quodque Gustrovii nexum sic erat desponsationis vinculum, hac ipsa Rosarum in urbe, ubi domicilium tum Ille suum habebat, Anno MDCXC. d. 25. Februarii mensis, Sacerdotali accedente benedictione, ut pie, sic auspicio non minus ac solenniter confirmatum fuit.

Qualem vero se Matremfamilias gesserit BEATA, qua paucas invenire praestantiores concessum, magna cum Academia, tum Civitatis hujus pars, quos inter habitavit olim, recordatur, quodque oculis contuiti sunt ipsi, testari poterunt. Rerum domesticarum gerendarum non notitiam solum, sed peritiam quoque, haud leviter tincta, sed a Suis imbuta erat, cujus illico Mariti domum ingressa memorandum specimen ac imitandum exemplum dedit. Cum enim Vir Excellentissimus ea aetate Regiam hancce Scholam, & cum insigni hujus fructu, & cum proprii Nominis magna celebritate, doceret, doctrinamque ipsius ex ore hausturi undique confluerent, conversationem ejus eruditissimam propiorem atque convictum expetentes, venerat, ut Convictorum numerus ad viginti duos excrevisset, indeque res ejus domesticae sic satis diffusae multum postularent curae, multum requirerent prudentiae, nec minus laboriositatis. Quae quidem Juvenem terrere potuissent: at Nostra, decimum sextum licet aetatis annum duntaxat agens, Excellentissimi Mariti sui Symbolo conformiter, non temere quidem, veruntamen nec timidè aggressa rem fuit, nec vigilantiae, nec curis, nec industriae parcens, cuncta tam ordinatè disponebat, adeoque gerebat prudenter, & singulari expediebat promptitudine, ut ab aetate senili ne quidem, experientiam ceteroquin instructa majori, majora meliorave expectari possent, indeque omnibus, quibus ea videre contigit, fuit admirationi.

Neque bonam solum Matremfamilias se praebuit, sed Conjugem quoque optimam, erga Per-Illustrem Maritum, quem, quoad vixit, mirificè diligebat, se semper fidelissimam, modestam, humanissimam, ac ad nutum ejus cunctis in rebus paratissimam praebendo, ita ut Ipse laudare queat, Semet in HELENA suam verum, quo nomine sapientia divina ipsa Gen. II. 18. Uxores appellatas voluit, ADJUTORIUM, prudentiam pariter ac promptitudine instructissimum, reperisse. Qua-

C

propter

propter & aliter haud potuit, quam ut eam vicissim tenerrimi amoris affectu complecteretur, & non in oculis duntaxat, sed pectore quoque gereret, nunc autem tot tantorumque bonorum jacturam eò doleat vehementius. DEUS autem, ut erat illi in conjugio suavissimæ concordia beneplacitum, idipsum multivario coelestium benedictionum genere beavit, inque primum ultra quadragesimum annum usque salvum servavit ac indissolutum.

Quodque potissimum in matrimoniis haud immeritò judicari solet, in hoc etiam sese beatam BEATA sibi gratulata fuit, undecim liberorum, partu haud infelici editorum, quatuor Filiorum, Filiarumque septem Parens. Haud enim aliter Prolem hanc suam, quam, uti sincerrimi conjugalis amoris pignora, sic maximè tot gratiæ divinæ dona & indicia certissima, excepit, nec in educandâ illâ vel tempori pepercit, vel curis ullis. Dolendum ast erat, siquidem humano rem judicio aestimare licet, quod non ab omnibus illis speratum impensarum operarum fructum percipere concessum ipsi fuerit, quandoquidem mors, nullam ætatis rationem habens, quinario prædictum numerum citò diminuit, duos multæ spei Filiolos: JOACHIMUM DETTLOFFIUM, & ERNESTUM DIETERICUM; Filiasque tres: HELENAM ELISABETHAM, WENDULAM CATHARINAM, & ELISABETHAM AGNESAM, cum teneram infantiam vivendo nondum superassent, è vivis abstulit. Quorum abitum etsi, quo Mater erat in progeniem affectu, dolore graviori perferret; pietas tamen ipsius coelestia haud difficulter solamina admisit, ignara minimè, non huic mundanæ, sed coelesti potius vitæ DEUM homines nasci velle. Interim negari nequit, gravissimum eandem accepisse vulnus, quod & suum ipsius obitum accelerasse visum, morte Filiæ dilectissimæ, Generosiss. virtutumque laude condecoratissimæ DN. ANNÆ HELENÆ, quippe quam læta haud pridem felici conubio viderat elocatam Viro Generosissimo, DN. GOTTSCHALCO ANTONIO de WICKEDE, Hæreditario in Tolsin & Niehelip; at mensis unius, cum alterius dimidio, spatio ante suam emigrationem, inopinatò non magis ac immaturè, primo in puerperio, & unâ quidem cum foetu masculo, quod luctum augebat, extinctam conspexit.

Quantum verò doloris ex defunctorum liberorum obitu conceperat, tantum longeque plus voluptatis atque lætitiæ, quos vivos tenus hac providentia divina voluit, faxitque, Per-Illustris DN. Genitoris in solatium, quam diutissimè superesse! Sunt autem Generosissimum Natorum par: natu quidem major, Serenissimi Mecklenburgensium Ducis Cubicularius, DN. JOHANNES CHRISTIANUS, & DN. CHRISTOPHORUS HENRICUS, Fratres de KLEIN, paternæ gloriæ ex asse Hæredes; Filiarumque triga: Generosissima præstantissimarumque virtutum ornatu florentissima Dn. MARGARETHA SOPHIA, placidè ante biennium defuncti, magnorum in Patriam cum immortalitate Nominis meritorum Viri, Domini, DN. JOHANNIS ABRAHAMI DUVEN, Sereniss. Regnantis Ducis Mecklenb. quondam Regiminis, ut & Intimi Cancellariæ Consiliarii, Vidua relicta; Virginesque Generosæ mentis ac omnis generis virtutum ornamentis naturæque dotibus speciosæ, DN. WILHELMINA DRUDA,

DRUDA, & Dn. ANNA CHRISTIANA. Sed & referri huc, fas est, quos per laudatam modo Filiam priorem, DN. DUVENIAM, nepotes Avia neptemque acceperat Beata nostra Domina de KLEIN: quorum isti sunt Juvenes Præstantissimi, passibus amplis ad avitorum patrumque meritorum gloriam æmulandam contendentes, JOHANNES ABRAHAMUS, & CAROLUS LEOPOLDUS DUVEN, iste Jurisprudentiæ, hicque Theologiæ S. Studiorum Consecranei; atque hæc, vivam Avia pariter ac Genitricis referens imaginem, adolescens Virgo, Lectissima HELENA AGNETA DUVEN, in quâ, quicquid est gratiarum, abundè reperire datur, ut facile Generoso KLEINIANO stemmate prognatam agnoscas.

Atque hæc de Familia KLEINIANA, quoad descendentem lineam quoque, quam semper sibi commendatissimam habere gratia æterni Numinis velit! referre habui. Reliquam Beatæ Matronæ Generosissimæ inter mortales vitam quod spectat, neminem, arbitror, fore, sibi qui imaginetur, Eandem, factorum in mundo degentium, ubi mala mixta sunt bonis, expertem fuisse. Largissimis quidem Coeli benedictionibus beatam cognovimus eam: veruntamen, quæ sunt communes rerum hujus Seculi vicissitudines, à cruce, tentationibus & afflictionibus, quibus, quos chariores habet, paternè tentare sapientia Benignissimi Numinis solet, immunis non fuit. Ipsa verò, quicquid adverforum ipsi contigerit, in materiam virtutum, fidei cumprimis, patientiæ, constantiæ, spei, exercendarum convertere docta & adsveta erat. Licet igitur eadem animum percuterent nunquam, nunquam tamen frangere dejicereve valere, certissimum quippe, sine divino nutu nil quidquam dilectis ejus evenire posse, hunc autem cuncta illorum dirigere in bonum. Quare nec à pietatis, quâ florebat, tramite defecit unquam, ad veri solatii fontem, Verbum puta divinum, cujus à teneris inde per omnem vitam amantissima fuit, semper confugiens, suamque voluntatem supremi cuncta gubernantis Domini ac Patris subjiciens voluntati. Nec minùs in reliquis actionibus vitæ talem se gessit, ut, omnia illius à pietate dirigi, sine negotio intelligeretur. Nam amor DEI, si sincerus est, & non affectatus, Apostolo, 1. *Joh. IV. 21.* indicante, sine amore proximi non est. Amorem autem omnium, erga proximum exercenda quæ sunt, officiorum velut scaturiginem esse, vel ipsam Scripturam testem habemus, *Rom. XIII. 8. 9. 10.* Quare nec, ad eminentiorem licet honoris ac dignitatis gradum evecta, à consuetâ sibi, & connatâ velut, humanitate recessit, erga Superiores, æquales, & inferiores, uniuscujusque statui conditionive conformiter se gerens, promerita hoc pacto, quam Illi gratia multiplici maestarent, isti condignâ æstimatine colerent, hi debito honore ac observantia venerarentur, omnes benevolentia prosequerentur affectu.

At enim verò, tot eximias tantasque dotes hodiè cum exuviis B. Dominæ de KLEIN unâ consepultum iri, videmus: Quamobrem, quod illius vitæ descriptione demonstraturum me dixi, funus hoc dolore, luctu lacrymisque dignissimum esse, conjectu jam difficile non erit. Dolet illud Vir Magnus, moestissimus nunc factus VIDUUS, & eò dolet magis, quò intensiore amoris affectu COSTAM hanc suam vi-

vam prosequutus, quòque certior vicissim de reciproco illius erga se ardentissimo jugali amore fuit. Dolet, & eo dolet majori jure, quò majora, quæ tam in semet ipsum, quam in universam Generosissimam Familiam suam redundatura, à piè DEFUNCTA sperare non modò, sed exspectare adhuc poterat, bona cum illâ, proh! amissa sunt. Dolet, & tantò justior illius dolor est, quantò magis in hac senectutis gravitate, quam annorum longâ serie auctam velit, qui est Auctor vitæ! Septuagenario quippe major, fidelissimâ dilectissimæ CONJUGIS, prout promptissimam eam, omnibus in casibus, hætenus expertus fuerat, Sui curâ indigeret. Lugent Generosissimi FILII, deplorant tristissimæ NATÆ inopinatum GENITRICIS, calidis deflent lacrymis moerore confecti NEPOTES properatum AVIÆ suæ abitum, vix animum in luctu tam acerbo recolligentes. Norunt etenim, sibi tam illustri virtutum imitandarum exemplari postidhac carendum esse. Cernunt se providâ maternâ a vitâque curâ orbatos. Intelligunt, se piis pro salute suâ DEFUNCTÆ precibus ac apud DEum intercessione destitutos in posterum fore. Contristati collacrymantur PROPINQVI omnis generis gradusve, atque suos istorum gemitibus gemitus jungunt, fletusque fletibus miscent. Lugent BONI omnes, & tristem vultu prodentes severitatem, de tantorum in BEATÆ personâ, queis larga Coeli manu dotata, quini mò ditata erat, bonorum jacturâ conqueruntur, dolentibusque condolent.

Quantumcunque verò sit, quod ex hoc funere concipere fas est, doloris: Est tamen & in illo, quod afflictis solatium afferre, quod moestitiam sedare, quodque lacrymas madentibus abstergere genis possit. Nam & gaudendi lætandique causam ei subesse, nos ostensuros dixisse, recordamur. Quâ tamen in re prolixiores ut simus, haud opus arbitramur esse. Ex ergastulo namque turbati hujus orbis & lacrymosa mundi valle DEFUNCTAM ereptam & educatam esse, constat. Sique vitam in mortalium coetu transactam retrospectimus, neutiquam illa nos dubitare finit, eam fuisse, quam fidei dicere vitam solemus, & ex qua fides circum nos viventium æstimari solet. Sed fidei vitam dum vixit, equis dubitaverit, eam & fidei finem consequutam nunc esse, quam esse novimus vitam æternam. Deque hoc quò minus dubitemus, (finis enim, ut in proverbio est, coronat opus) exitus illius ex mortali hac vitâ quam amplissimè nobis persuadet, certissimè confidere jubet.

Transegerat BEATA quatuordecim propemodum annos in prædio suo, quò rebus ibi domesticis consularet ipsa, negotiaque Familiæ sollicitè curaret. Tandem autem, ut istis à molestiis, annis paulatim increbescens, respiraret, in hanc urbem, domicilio jam apparato, cum Per-Illustri Coniuge, sese recipiendi propositum alebat, ut eo loco, qui maximam juventutis illius partem sibi vindicaverat, tranquillâ etiam atque quietâ senectute frueretur, reliquam, ex voluntate divinâ, ætatem in eo peractura. Sed ecce! quam alienæ sæpè à nostris sint divinæ cogitationes. Rostochium illa tendebat, & illuc quidem, ast partem tantum, & quoad exanime corpus, defertur. De domicilio apto, quod inhabitaret, conducendo sollicita fuerat, ast illud ingreditur, quod complures jam ante annos proprium sibi ac hæredi-

hæreditarium in Æde Marianâ comparaverat sepulchrum. Ut, præter amantissimum Maritum, Filiæ natu majori, laudatissimæ Viduæ de DUVEN, & acceptis ex illa Nepotibus propinquior esset, desiderabat; & natis ex se, quos præmiserat olim, Liberis associatur. Quietem à mundanis negotiis, & animum curis vacuum anhelabat; invenitque veram in DEO quietem coelestemque tranquillitatem, nullis curis amplius, nullis molestiis, nulla unquam sollicitudine turbandam. Quique lætabundi Eidem in occursum ire, ac adventantem gratulantes excipere gestiebant; loculum, cui corpusculum inclusum, comitari tenentur, & amplexuum Illius loco, non, nisi solus feralis capuli aspectus, reliquum illis est. Adeò diversæ sunt cunctipotentis DEI hominumque viæ!

Sed videamus tandem, qualis contigerit Generosissimæ Foeminae analysis. Cujus equidem physicarum causarum enarratione superfedere nobis licebit, posteaquam istas, sive rem ipsam respicias, sive scribendi modum, curatè descripsit, cujus curæ causarium suum corpus aliquot ab annis concrederat, Medicus Experientissimus Famigeratissimusque, cujus proinde transmissam atque nobiscum communicatam relationem integram heic legendam inferemus. Sic autem ille perscripsit:

Generosa quondam, nunc pie defuncta Domina de KLEIN per quinquennium & quod excessit hujus anni spatium valetudinariam admodum egit vitam. Quamvis enim anno 1724. sub Novembris initium sat gravem Apoplexiæ insultum superaverit & ab insequente totius lateris sinistri paralyti feliciter liberata & restituta fuerit, ita, ut sua rursus munia commode obire potuerit, ex eo tamen tempore postea crebrioribus defluxionibus catarrhalibus & rheumaticis tentata fuit, atque nunc tussi graviori, nunc pleuritide notha, nunc ptyalismo scorbutico, combinatis subinde hysteriis & spastico-convulsivis levioribus motibus passim præprimis hyemali & vernali tempore laboravit. Nec defuerunt interea temporis adversa quædam & tristia, quæ insimul animum adficere, ejusque pariter ac corporis vires labefactare potuerunt, quorum summam certe ultimus & maximus complevit mæror ac luctus ex inopinato obitu Filæ Ejus charissimæ, Generosæ Dominae de WICKEDEN, Primiparæ, in ipso partus negotio una cum Filiolo mortuo excluso extinctæ contractus, qui mentis ac corporis robur penitus frangens haud leve, uti reor, fundamentum ultimo mortifero, de quo nobis sermo nunc erit, morbo jecit. Corripiebatur nempe Generosa nostra Defuncta, dum viveret, circa nuperum vernale æquinoctium Tussi vehementissima catarrhali præsertim nocturna, quæ tamen adhibitis convenientibus remediis post aliquot septimanarum decursum magna ex parte iterum cessavit. Die vero octavo Aprilis horis antemeridianis sentit ex improvise horrore atque frigoris sensum per quasdam horas se extendentem, succedente calore quidem molesto, sed non adeo intenso ad vesperam durante, quo tempore paroxysmus iste febrilis remittere visus est. Insequente vero die, qui primus Festi Paschatis erat, sub horam octavam matutinam rediit Rigor intensissimus, tensionibus spasticis & Epileptico-convulsivis motibus stipatus, quem cum circa meridiem demum cessaret, æstus & ardor vehementissimus excepit absque ulla postea intermissione vel notabili remissione, nisi hanc levissimam saltem circa mediam noctem quandoque adfuisse statuum, combinata simul gravissima fuere symptomata, sitis ni-

D

mirum

mirum clamosa & inextinguibilis; virium summa debilitas & prostratio, punctorii in hypochondrio dextro, & lancinantes ac contundentes reliquorum totius corporis artuum dolores, anxietates præcordiorum, agrypnia, sterilis per intervalla sine excretionem tussis, intercurrentibus quandoque vomitione & singultu, ac die morbi quinto copiosissima prorupta Aphtæ sese in faucibus, lingua, genarum & labiorum interna superficie manifestarunt. Pro hac proinde Febre Continua acuta inflammatoria abigenda quanquam selecta satis & sufficientia tam interna quam externa propinata & applicata fuerint remedia, morbi tamen vehementia & malignitas omnia respuit & explosit, atque Generosa nostra Ægrota cum diris memoratis symptomatibus usque ad septimi decubitus Diei exitum colluctata, placida & beata morte è vivis erepta est, nobis omnibusque probis ob incomparabile genuinæ pietatis & plane singularium virtutum suarum, quo coruscavit, ornamentum triste sui desiderium & alte infixam relinquens memoriam.

Dabam Gustroviæ die 25.
April. 1730.

JOH. GEORG. Barnstorff, M. D.
Smæ. Duc. Meckl. Consil. Aul.
& Archiat.

Hæc Ille. Ad animæ autem beatam è corpore emigrationem quod attinet, dudum equidem piè Defuncta Domina de KLEIN, sicut Apostolus, *Phil. I. 23.* dissolvi & cum Christo esse cupivit, ac ardentibus precibus eum, cujus in manibus dies nostri sunt, ut abhinc evocaretur, sollicitavit: cujus verò sapientiæ: nam hora ejus juvandi nondum advenerat; eam hætenus in corpore relinquere, visum. Interea Ipsa ad exitum se præparare, mortemque meditari, ne in expectata sibi veniret, nunquam destitit. Assiduè hinc sacrarum Litterarum lectioni vacare, colloqui cum DEO, cultui ejusdem publico, quantum corporis constitutio permittebat, interesse visa fuit. Quibus exercitiis sacris ut eò commodius, sine recurrente rerum domesticarum negotiorumque strepitu interpellante, quietè defungi posset, rure relicto, in urbe occasionem uberiores quærere cogitabat, hunc ad locum, ceu diximus, reversura. Ad ingrediendum iter hoc igitur sese paulatim parabat, ast aliorum vocata, sequuta est vocantis nutum, ubi, quam heic frustra quæsit, invenit quietem, & eam quidem, ac mundus præstare potest, infinites beatiorum. Decendio circiter ante, quam illud ingrederetur iter coeleste, delicta sua: quis enim mortalium ab istis in judicio divino immunem se novit? quâ semper fuit devotione coram Altissimo humillimâ, confessa erat, & sacræ Coenæ Dominicæ Sacramenti usu fidem in Salvatore suam piè confirmaverat. Sed singularis quædam, præter spem, in illâ sacro hoc negotio occupatâ, tristitia animadvertēbatur, ut non sine largis lacrymarum imbribus effusis isto defungi potuerit. Cujus equidem causam sciscitantibus, semetipsam eandem, exploratione sui factâ, ignorare, fassa est. Procul dubio præfagiens illam animus attulit, siquidem paulo post lethiferus eam invadens morbus lectum petere coëgit. Decumbens igitur sanctissimi hujus, quo corporis ac sanguinis Domini particeps facta fuerat, epuli salutarem fruitionem crebrius in mentem sibi revocabat, ut ejus memoriâ fiduciam suam aleret, erigeretque spem æternæ salutis, gratia DEI & virtute me-

riti

riti Christi, adipiscendæ. Recordata quippe sic fuit effati Salvatoris, *Joh. VI. 53. Iqv. Amen, Amen, dico vobis; Nisi comederitis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & Ego resuscitabo illum extremâ die. Nam caro mea est vere cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & Ego in ipso. Quemadmodum misit me vivens Pater, Ego etiam vivo propter Patrem: & qui manducat me, etiam ille viveat propter me; quæque sensu eodem allegato loco plura leguntur. Quantumlibet enim, ut ex adducta Relatione constat, corporis, ceu decet, curam non neglexerit, potissimam tamen animæ habendam esse rationem piè judicabat. Nec putes, mortem eam horruisse, id quod tantum abest, ut eandem intrepidè potius exspectaverit, quin in occursum illi velut iverit, & appropinquantem expansis, ut ita dicam, ulnis fuerit amplexata. Constantiam certè, quæ magna pectora decet, ac singulare fidei suæ demonstravit robur. Cujus ad confirmationem quæ facere possunt, sacra colloquia frequentius cum præsentibus instituebat, cum primis cum Confessionario suo, Viro perquam Rever. atque Clariss. DN. ADOLPHO RHUSTIO, concrediti curæ suæ Gregis Domini Pastore fidelissimo, qui & quicquid huc pertinet è sacerrimo Bibliorum fonte haustum, in animæ pharmacum, morturæ propinabat. Cui monenti, ut ne qua deficeret à fiducia in Salvatorem suum, sed illi firmiter adhæreret, singulari animi constantiâ, & ore lætitiâ prodente regeffit: *Se, DEI gratia, cunctis in afflictionibus & angustiis Domino suo fidelem fore permanjuram.* Atque sic animata, mortem jam vicinam sibi sentiens, Per-Illustri DN. Marito, Generosisque Liberis, animo plane generoso ac imperterrito, ultimum dixit Vale! Quibus peractis, ad preces iterum confugiens, inter Præsentium comprecationes, die superioris mensis Aprilis decimo quinto, circa horam tertiam matutinam, placidam atque beatam obiit mortem, postquam vitam in mundo, magnâ cum laudum gloriâ, feliciter peregerat, supra quinquaginta, sex Annorum, mensiumque trium, decem adhuc additis diebus.*

Tam beatum igitur ex caduca hac vitâ Defunctæ Matronæ exitum respicientes Relicti, Per-Illustris Viduus Liberique Generosissimi, & quotusquisque cum illis vel Eorum vel suas ipsius vices dolet, habebunt sane, de quo gaudere possint, certissimi, Suam quondam, nunc Coelitibus adscriptam, mortuam non esse, sed per mortem in vitam transiisse, morientemque demum verè vivere incepisse. Quam ergo, deposita mortalitate hac, obtentam vitam immortalem beatè Functæ, animo in DEum confidentiâ pleno, gratulabuntur, haud minimum, confidimus non minùs, ac optamus, ex analysi tam beatâ consolationis & dolorum acerbissimorum levaminis accepturi. Quare nec dubitamus, Magnum DN. VIDUUM animo magno, Magnisque solito constantiâ robore casum hunc, utut in se luctuosissimum, ferre. Cujus securos nos reddit, Ejus ex heroico plane pectore profecta resolutio, Sese, cum Jobo,

Qui forti impositum mente ferebat onus,


D 2


cujus.


cujusque patientiam Heroas decentem nobis in exemplum Apostolus Jacobus Cap. V. II. collaudat, Cap. XXXIX. 37. manum suam positurum super os suum, atque cum Heli Sacerdote, voluntatem DEI erga se per Samuelem resciscente, 1. Sam. III. 18. dicturum: *Jehovah ipse; quod bonum in oculis ipsius, faciet.* Confidimus, Generosissimam superstitem Profapiam universam generoso spiritu post fata quoque Venerandæ Matris abitum lugere, ac, quam consequuta est, beatitudinem in suum proprium solatium convertere, sicque dolori, quantumlibet in se justissimus ille sit, modum, lacrymisque terminum posituram. Speramus denique, quotquot excruciat BEATÆ obitus, omnes ex tam felici, tamque beatâ status illius mutatione solatium atque non mediocre tristitiæ lenimen admissuros esse.

Nostrum autem nunc, PROCERES AC CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! nostrum, inquam, nunc erit, prout Christiana charitas vult, Illustri Familiæ Fulgidissimæque Necessitudini universæ coeleste desuper efficacissimum, quod nullum aliud virtute superat, solamen luctusque lenimentum apprecemur. Quos denegatos voluit Magnæ Maritæ, Marito Magno, afflictissimo nunc, eheu! VIDUO, DEUS superaddat annos, voveamus. Generosum KLEINIOGERDESIANUM SANGUINEM coelesti Numinis benignissimæ curæ ac providentiæ, ad perpetuum florem, votis precibusque nostris commendemus. Nostrum etiam erit, occasione hujus illustris funeris, propriam nostram meditari mortalitatem. Ut piè Defunctæ fidem maculasque virtutes viventes imitati, æque placidâ, æque beatâ morte beemur. Tandem & nostrum erit, ut Beatæ Dominæ de KLEIN memoria apud nos perpetuò sit in benedictionem. Id quod tam permagnæ Illius raræque virtutes merentur, quam ingentia Per-Illustris DN. VIDUI, universæ Patriæ, ac speciatim etiam Universitati huic nostræ olim præstita, merita suadent, requirunt, postulant, jubent.

P. P. sub Sigillo Reſtorali & Academico,
Ipso solennium Exequiarum die, 16. Maji,
ANNO MDCCXXX.







LBMV Schwerin 33
000 195 545





nam solum, affusam educationi suæ quam largissimè, bene-
n, cui quæcunque nobis obvenientia bona, ceu causæ pri-
tribuenda; sed Tutorum etiam fidelitatem, vigilantiam ope-
sibi præstitam memori semper agitavit mente, grâtaque reco-
rdatione, ac laudibus efferre summis audita sapius fuit.

Quæ autem in illa non enitebant modò, sed exsplendescebant,
naturâ concessæ speciosæ dotes, quam acquisitæ magno conatu
excellentes virtutes, non oculos solum omnium feriebant,
nos quoque cunctorum illius rapiebant in admirationem, favo-
rulorum & existimationem illi conciliantes. Harumque
nibus laudata, elegantia, quæ Per-Illustris, at obitu Ejus
heu! afflictissimi, DN. Vidui animum in amorem illius soci-
etando, efficiebat, ut Ipsam, præviâ conjugiorum Auctoris im-
ne devotissimâ, matrimonio sibi jungendam ambiret. Exam-
que fidere perquam fausto atque felici, Tutorum pariter at-
us Splendidissimæ Familiæ unanimi consensu sibi desponsatam,
e Gustrovii nexum sic erat desponsationis vinculum, hac ipsa
in urbe, ubi domicilium tum Ille suum habebat, Anno
C. d. 25. Februarii mensis, Sacerdotali accedente benedictione,
sic auspiciò non minùs ac solenniter confirmatum fuit.

Matremfamilias gesserit BEATA, quâ paucas inve-
concessum, magna cum Academiæ, tum Civitatis
nter habitavit olim, recordatur, quodque oculis
testari poterunt. Rerum domesticarum gerenda-
um, sed peritiâ quoque, haud leviter tincta, sed
, cujus illicò Mariti domum ingressa memoran-
nitandum exemplum dedit. Cum enim Vir Ex-
tate Regiam hancce Scholam, & cum insigni hu-
proprii Nominis magna celebritate, doceret, do-
x ore haustrum undique confluerent, conversatio-
nam propiorem atque convictum expetentes, eve-
rum numerus ad viginti duos excrevisset, indeque
sic satis diffusæ multum postularent curæ, mul-
rudentiæ, nec minus laboriositatis. Quæ quidem
otuisissent: at Nostra, decimum sextum licet æta-
t agens, Excellentissimi Mariti sui Symbolo con-
erè quidem, veruntamen nec timidè aggressa rem-
æ, nec curis, nec industriæ parcens, cuncta tam-
t, adeòque gerebat prudenter, & singulari expe-
ne, ut ab ætate senili ne quidem, experienciâ ce-
majori, majora meliorave expectari possent, in-
ibus ea videre contigit, fuit admirationi.

um solum Matremfamilias se præbuit, sed Conjugem
erga Per-Illustrem Maritum, quem, quoad vixit,
se semper fidelissimam, modestam, humanissimam,
unctis in rebus paratissimam præbendo, ita ut Ipse
net in HELENA suâ verum, quo nomine sapientia
l. 18. Uxores appellatas voluit, ADJUTORIUM,
ic promptitudinè instructissimum, reperisse. Qua-
propter

